

RK. 382, 2

(X 1883931)

In  
6663a

Q. D. B. V.

# RES SVE O. GOTTHICAS,

*recensēbunt*

CONRADVS SAMVEL  
SCHVRZFLEISCH,

ET

IOANNES BERING,  
Gryphisvv. Pomeranus,

*In Auditorio Maiori,*


XIX. KAL. SEXTIL.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

---

Disputatio XV.

LIPSIÆ, Apud NICOLAVM SCIPIONEM,  
die Dec XCIX.



## I.

**S**Veonum, et qui iuxta hos eiusdem originis\* sub uno Martio regno colunt, Gothorum acta bellaque referam, et quibus artibus creverint utriusque ac floruerint, tum quae disciplina, quae gloria domi militiaeque fuerit, memorabo.

\* Svedi velut septentrionis sui Aborigines, et domestici imperii tenaces, ab se Gothos Cimbrosque effuderunt, Goldast. de reg. Boh. lib. 1. cap. 5. p. 7. Quod ex Crantzii Svecia lib. 1. cap. 9. et annalibus Gotholandicis haec sit, unde constat, Svedos se olim fere patriis sedibus continuuisse, Gothos autem longis a septentrione itineribus profectos, vehementi et repentinio impetu in Romani imperii fines penetrasse. Hinc Paulus Iovius lib. 1. Hist. sui temp. Gothiam affirmat Romanorum malo clariorem, quam Sviðiam. Pulchre Crantzius, Sveciae, inquit, domi et vicinis in locis non men praevaluit: foris autem et in longinqua militia, Gothorum gloria sublimioribus longe titulis inclaruit. Vnam utriusque gentis originem indicat David Chytraeus in Svec. p. 113. et ex eo Matth. Lungvitzius de Gust. Adolphi adventu in Germ. p. 25. Discedimus a Iodoco Ludovico Decio, qui Gothis tribuit origines Sarmaticas, lib. 1. edit. Pistorian. Multo rectius sentit Ioannes Matthias a Sudetis in lib. de orig. Bohemorum, cuicunque plurima debet Melchior Goldastus in commentar. de Boh. regn. Ioannes Janus Svaning. olim Cimbros appellatos esse approbat, interv. 2. iudicium Cimbriae p. 11. Huic subscribit Olaus Wormius in monumentis Runicis p. 28. Contra, quam nos Danos Cimbrosque a Gothis secernimus, licet non inficias eamus, utrosque ab ultimis Germanorum esse oriundos, et finitimas saepe sedes tenuisse. Plane sicut Langobardi, et alii multi, origine sunt Germani, et separatum tamen a Gothis constituant populum, separatamque gentem. Henricus Spelmannus, antiquitus Getas Iutasque dilectos, afferit: nec dissentit Io. Matth. a Sudetis, et utrosque sequitur Ruterus Hermannides descri. Svec. p. 15. Conf. Io. Nic. Strelowius in Chron. Gothland. A. 1633. ed. ac novissime Io. Loccenius in Antiq. Sveo-Goth. Iod.

A 2

Lud.

Lud. Decius etiam nominis huius ambitu Dacos Vandulosque comprehen-  
dit, lib. cit. Sed is plus saepe, quam decet, liberalis est. Ex Veteribus  
Gothicas res illustrarunt Iornandes, Episcopus Ravennas, quem iure com-  
mendat Crantzius, Isidorus Hispanensis, cuius extat Chronicon Gothorum,  
cura Fr. Lindenbrogi evulgatum, Procopius Caesariensis, quem laudat  
Decius. Nec nunc quid addam de Paulo Orosio, Gvidone Ravennate, Fla-  
vio Blondo, et his ac horum similibus. Ex recentioribus nomine Ioannem  
Magnum, Vpsaliae Praesulem, qui odio instauratae per Gustavum I. reli-  
gionis se ex Svedia proripuit, secumque Romanum attulit praecipua Svedica-  
rum rerum monumena, Io. Loccenius Hist. Spec. lib. 6. p. 258. Lungvitz. de  
Archiep. reg. Sved. p. 94. Is ob laudem historiae magno numero est, et in  
nebus ultimae antiquitatis evolvendus cum delectu, praesertim cum Annii  
Berosum, et similes allegat. Fratrem habuit Olaum Magnum, et erudi-  
tione secundum sibi, et, quod Augustini Mascardi iudicium est, incerta  
saepe ac fidem excedentia pro certis affirmantem. Opus alioquin sa-  
tis forma et stylo luculentum est, atque superiori seculo editum Romae,  
et nuper Anno. 1617. novo redditum prelo: Olai Magni breviarium  
altera vice Lugduni Batavorum A. 1652. sat nitidis excusum typis  
est.

II. Horum ab ultimis, quoad respicere possum, tem-  
poribus, magna virtutis \* prudentiaeque opinio, ac prope  
incredibilis augendi imperii cura fuit. Otium, quod corrum-  
pere animos solet, exosi, virorum implere munus, et facere im-  
peria, et evertere optaverunt.. \*\*

\* Testis est Isidorus in Chron. Gothorum, Gothos tantam rei  
bellicae famam adeptos, ut vitaverit Alexander, pertimuerit Pyrrhus,  
exhorruerit Caesar: Iornandes de rebus Geticis p. 86. comprobat, su-  
pientiae studiis viciisse omnes barbaros, et cultu plane Graecorum si-  
miles fuisse: quod adeo documento est, manu perinde ac ingenio va-  
luisse, et praesentes ad pericula animos et egregia confilia attulisse.  
In primis veterum sermone celebrantur carmina Gothicæ, quorum me-  
minit dicto loco Iornandes, et literis Runicis composita recitant re-  
rum septentrionalium scriptores, Sano Sialandicus (vulgo Grammati-  
cus) et Olaus Magnus, ac post hos Olaus Vormius in monum. Run.  
et Matthaeus Lungv. de reg. Sved. Sed reperias apud hos, quod

de-

desideres ad argumenta historiae certae. Non secus, atque apud Germanos, quos multi fictis laudibus omerant, cum veris acquiescere debuissent. Nec vero praeterierimus, Svedos etiam quandoque sedibus suis egressos, regnum apud exterios condidisse, ac Svevorum nomine venisse aero Iornandis, qui p. 125. de rebus Geticis commemorat, Ricciarium Svevorum (id est, Svedorum) regem, Theodorici Gothorum regis cognatum, et ut plane loquar, ab una stirpe et gente oriundum fuisse. Assentiuntur ex doctis Reinerus Reineccius, Franciscus Guillmannus, Ioannes Stumpfius, viri insignis iudicii atque accurationis: cumque his ferme omnes rerum Svevicarum conditores, Peterm. Etterlinus, Felix Faber, et Martinus Crusius.

\*\* Id liquet ex tot migrationibus Ostro- et VVestrogothorum, sive ut alii scribunt, VVisegothorum, quae nomina perperam interpretatur Gotfridus Viterb. Chron. part. XVI. At eo melius Monachus Nuss. in M. Chron. Belg. p. 11.

III. Romanorum iidem saepe, si vetustissimos repeato, amici, interdum hostes, Germanorum fratres et propinqvi,\* ex Scandinavia, \*\* velut communi gentium nostrorum sede, exiverunt.

\* Hoc non ambigua fide traditur, et vel ipsius Gustavi Magni confessione sustinetur, qui A. huius seculi supra millesimum sexcentesimum septimo et vigesimo, 12. Nov. Germanis, qui tunc inter retinenda religionis spem, et amittendae metum versabantur, copiam faciebat redeundi ad pristinas antiquasque sedes, et communi Svedorum Gothorumque utendi iure. Ac has, credo, literas invuit doctissimus Goldastus, dum Germanos ad repetenda Aboriginem loca a Gustavo Adolpho invitatos accitosque, ex dignitate veteris memoriae scribit lib. 2. cap. 5. de Boh. reg. Praeclare in hanc rem Crantzus retulit, Gothos Cimbrosque de magnae Germaniae finibus, quasi examina, egressos fuisse, lib. 1. Svec. cap. 1. Multis ante Crantzum seculis Iornandes, sive ut alii signant, Iordanes literis mandavit, Scantziam (quam nos Scandicam, seu paulum producta nomine Scandinaviam appellamus) quasi officinam gentium, aut, uti idem loquitur, velut vaginam nationum ab se emisisse Gothos, de reb. Get. p. 38. cuius situs pingitur apud Strabon. rer. Geog. p. 327. et Ptolemaeum in Germania magna,

tab. IV. et Schonland. tab. XII. inde exiisse in Scythiam produnt: Iodocus VVillichus in Chron. Tac. Germ. p. 416. Quod recordari debuit Monachus Nuffiensis, qui ignoratio migrationis discrimine, Scandinam Scythiae insulam vocat, M. Chr. Belg. p. II. Longe aliud cognoscere licebat ex Iornande, sec. VI. Scriptore. Albertus Crantzius nimis animi est, cum negat, in Scythiam discessisse, quod tamen ait Iornandes. Quanquam commoda forte interpretatione iuvare possit Monachus Nuffiensis, si Scythia non quaevis, sed Gothica, sive Teutonica, intelligatur. Eo conf. Rodericus Sanctius et reliqui scriptores Hispaniae illustratae, qui erudite et diligenter admodum investigant res Gothicas, accepta VVestrogothicae migrationis occasione. Sed revertamur ad Germaniam magnam, longe porrectam ultra Albim, et Gothorum Svedorumque fines olim complexam, quod ex Plinio Tacitoque evincere in proclivi est. Vid. Petrus Bertius com. rer. Germ. lib. I. p. 179. Nic. Reusnerus de Vrb. Imp. p. 8. Ut recte iuxta et eleganter Augustus Buchnerus Svedos in Teutonicae originis partem, et unius linguae commercium asciscat. Orat. Paneg. II. ob Victor. Lips. De Origine reddidimus paulo ante: consentiuntque in Tacitum animadversores, Scythes Europaeos (id est, Gothos Svedosque) a Germanis non esse excludendos. Iod. VVillich. lib. supra cit. Quod ad eadem linguae elementa, communemque sermonis contextum pertinet, graviter affimat Rodericus Toletanus, Teutoniam, Svediamque unam habere lingvam, idiomatibus tantum distinctam. Consentit Procopius, scriptor Justiniani aequalis, et perspectae gravitatis fideique. lib. I. Vandal. Nempe adeo una opera et Teutonum laudes, et tot Svedorum Gothorumque triumphos enumeramus. De terrarum, in quibus considerunt, ambitu addendum censeo, aliis finibus olim, aliis nunc descriptam discretamque Germaniam esse. Dehinc multum diversa existimari oportere, iisdem Germaniae Magnae limitibus includi, et eodem imperio regi. Nam extra controversiam est, in veteri Germania magna diversas a ceteris Gothorum Svedorumque resplicas fuisse. Propterea Svedi nec a Romanis, nec a Romano-Francis Teutonicisque Imperatoribus unquam redacti sunt ad unius imperii leges. Augustus, circumiecta ad Cimbrorum promotorum classe, non occupati, sed navigati saltē Oceanī famam accepit. Vid. post Plinium Petrus Bertius lib. p. 89. Carolus M. in finibus Cimbrorum Danorumque haesit, ad Svedos non pervenit. Si-

ve

ve propter inopiam rei navalis, sive ob metum Nordmannorum, ferocissimae, et facile ad arma irritandae gentis, cuius et rebur et portio Svedi erant, autore Adamo Bremense H. E. lib. II. cap. IX. Quid et hac notione aliquando distinguuntur Svedi a Danis, ut colligo ex Alb. Abb. Stad. ad A. 948. Simul et hinc ostendo, Daniam Ottoni M. factam esse vestigalem, non Sviatam. Andreas Severinus Velleius in Not. ad Bremensem lib. I. cap. 48. non Danos Aborigines, sed Frisiae Nordmannos, qui ad faciendam piraticam enavigaverant, isto loco cupit denotatos. Sed ea interpretatio manifesta falsi est, et vel ex solo Abbatte nostro eius contrarium indicatur, Loquitur enim Abbas tam evidenter, ut vel taedium moveat aliena explicatio Velleii. Haroldus, inquit, Ottoni subiicitur, regnumque ab eo suscipiens, Christianitatem in Dania recipere proponebat, et ut Otto S. Blasianus cap. 28. tradit, sub homine, quod hodie homagium dicunt. conf. Abb. A. 1163. Atqui Haraldus non Frisiae regulus, sed Daniae Rex erat: praeterea regnum suscipiebat ab Ottone, suscipiebat autem parendi, id est, tributaria ac postea beneficia-ria lege. Qvod de Svedia nullo probari exemplo, nulla assiri ratione potest. Ea ex causa Gustavus M. permoleste tulit, sibi in literis a Cae-sare Ferdinando II. redditis ascribi titulum nostri Principis, eo quod in se ac Sviatam Caesares nil iuris, nil imperii haberent: quandoquidem a Deo summae rerum impositus esset, nec ab alio penderet, praeter Deum. Verba in hanc formam concepta sunt. Derenthalben dann wir auch die Schreiben der Kanzl. May. in welchen / und deren Überschrift/ I. May. Uns. (unsern Fürsten) genennet/ und gleichsam/ als wann wir Ihme mit Unterthänigkeit verpflichtet waren/ angeredet/ neulicher Zeit in keine Wege haben annehmen/ oder zulassen können/ sitemahl wir auch nicht einen Erdschollen oder Fusses breit von der Kanzl. May. besitzen / sondern was wir in unserm Reich inn haben/ das haben wir alles Gott / und dem Schwerd / und unser gerechte-ster Sach / durch die bishero mit Götlicher Gnad geführte Krieg / und erhaltene Victorien zuzuschreiben: Epist. 13. Octob. A. 1630. Stral-sundio ad Senatum Electorum missa. Significanter scriptum was wir in unserm: nam longe aliter comparatum est cum principatibus ac di-tionibus in ambitu imperii Germanici sitis, de quibus publica pacis Os-nabrugensis formula caustum est. Instrum. pac. art. 10. §. Tertio impera-tor. Summatim, Caroli. M. Ottonisque M. expeditionum limes mare-

Bal-

Balthicum fuit: ulterius nulla nostrorum arma proferri potuerunt. Plinius lib. 2. cap. 13. suo tempore magnitudinem Scandinaviae tantam esse scribit, ut nondum penitus explorata fuerit. Solinus cap. 29. assentitur. Non capio hic, quod Rutgerus Hermannides allegat, qui Solino contra Solinum ascripsit contrariam opinionem, descript. Svec. p. II. et 12. Multo rectius Io. Magnus praefat. Hist. cap. 1. reddidit de Solini mente. Eadem et Balthiae cognomen inditum fuisse, affirmant veteres, et ita forte constat origo Germaniae Cis-Balthianae.

IV. Qvanquam auctores habeo, in Gothilandia \* consedisse paulum, et inde, ut ausu impetuque prompti erant, egressos, rupisse imperii limites, et cohortes legionesque suas deduxisse fere per universum orbem terrarum. Sed haec atque talia iactantur in vulgus, et nullum nisi a scribendi audacia subsidium habent. Haud enim est, ut credam, tam exiguum spatio insulam capere potuisse tantam gentem, in cuius nomen atque imperium tot terrae gentesque coaluerunt.

\* Notat Upsilonensis Praesul Volaterranum, quod ex Ablabio, qui fidelissime res Gothicas composuit, cuiusque historiae multum tulit acceptum Iornandes, eruat huius sententiae rationes, ut quae ludibrium apud suos, contemptum apud exterros mereatur. Quum non quidem rationes in promptu sint, cur negetur, inditum Gothilandiae, sive ut Saxo Sialand. scripsit, Gutlandiae a Gothis nomen, digresso prius in vicina populo, quam ad longinquaque proficisceretur, Crantzus lib. 1. Svec. cap. 3. rationes vero magno contra numero afferri possint, cur negari penitus debeat, Gothilandiam, quam Gothiscantiam extulit Praesul Rennas, tam ab stirpe sua diffusum Gothorum genus per angustis suis finibus nequicquam continuisse. Eo vid. Iornand. de reb. Get. p. 83. Crantzus in Hist. Svec. lib. 1. cap. 2. Ioannes Magnus lib. 1. cap. 7. Goth. Sveonumque Hist. conf. Rodericus Toletanus, Rodericus Sanctius: ex nostris, licet decoro historico dispar, Matthaeus Lungvitzius. Piget hic recensere controversias veteres de Gothilandiae iure, quod dudum Svedi Danicique Scriptores retulerunt in suos annales. Adiacet Ostrogothiae littoribus, ut situs et tabulae monstrant: Ostrogothia autem in Sverorum ditione est, et binc pro Ostrogothiae accessione habent Sveones, et super-

## RES SVEOGOTTHICAE.

superiori tempore recuperatam possident denuo. Conf. Io. Loccenius Sved. p. 238. 244. In primis Olaus Magnus sept. Histor. epist. l. 2. cap. 22. et lib. 17. cap. 1. Rutgerus Hermannides de script. Sved. p. 417. Sed non refert nostra, ut haec et horum similia disceptemus.

V. Haud mediocriter hic solliciti sunt multi, et simul intenti in tot suscep tarum migrationum causas; praecipue perqvirendum existimant, qvid fuerit, qvod olim has gentes accenderet ad tam longinqua itinera, et tot ac tam impeditas difficilesque vias ineundas. Ego, si qvod in animo est, referre ingredior, persvasum habeo, insignem qvendam et ferme qviescendi nescium vigorem, \* qvo duce atqve instinctore nil factu arduum, aut invium erat, excitasse hos mentibus impetus et studium migrandi. Hinc et ultionis \*\* saepe amor, et ostendendae apud exter os virtutis \*\*\* cupido animos incesserunt. Forte etiam qvandoqve tenuis res \*\*\*\* et necessitas, et familiarum multis modis diffusarum auctarumqve incrementa \*\*\*\*\* effecerunt, ut recederent ab suis finibus, et alienos occuparent, alienarum opum causa.

\* Inest quaedam in animis Septentrionalium vis, qva crientur ipsi, ut quietem atqve otium non ferant, sed concitentur facile et gaudent motu; exemplo sunt Vandali, Heruli, Langobardi, Svevi, Cimbri, et qui Septentrionem colunt omnes, in primis Goths Sveonesque ex Scania et Germania magna, qvam sic notione historica dicimus, effusi. Nec semel, et ingenue Ioannes Magnus affirmat, Gothos bellico ardore concitaros, terras reliquisse vacuas, et processisse in Scytharum regiones. H. l. 1. cap. 22. Cuius rei causas naturales docte eruit Medicus Hafniensis Th. Bartholinus.

\*\* Paulus Iov. H. lib. 1. p. mih. 2. recenset, Gothos totius orbis iniurias ulcisci velle visos esse. Io. Magnus Hist. l. 1. cap. 14. inter praecipuas Gothicæ migrationis causas refert vindictam hostium.

\*\*\* Iterum multa asseveratione tradit Io. Magnus, Gothos, quantum viribus possent, experiri voluisse, ibidem. Pereleganter scribit Erycius Puteanus, ostendisse Gothos, rerum dominos posse debellari, Hist. In-

B

subr.

subr. lib. i. p. mih. 8. Et licet colligere ex Iornande, tantum tribuisse bellicae gloriae, ut Deum bellorum apud se genitum dicerent, de reb. Get. p. 86.

\*\*\*\* Qvod minime ducimus Gothis criminis dandum, multo minus Gothiae Ab originum patriae imputandum, cuius inopiam allegant multi ex causa naturalis regni huius sterilitatis, qvod recte refellit Io. Magnus allegato loco. Nec tamen diffitebor, Gothos ab suis Aboriginibus egressos eo redisse paupertatis, ut prope vietus cultusque defecerit, qvod confirmare in numerato est ex Iornand. de reb. Get. pag. 138. collat. cum 167.

\*\*\*\*\* Subscribit sententiae Olaus M. in ep. dedicat. historiae Ioannis fratris ad Ericum electum Svediae et Gothiae regem, qvum prodit, Gothos nimium auctos, seu qvo ipse uititur stylo, ob nimiam multiplicationem, novas sedes quae situram sobolem emisisse. Eratque id prisci moris, et gloriae plenum cum apud Graecos, tum apud alios quovis populos. Dionys. Halicarnass. I. cap. 16. Simile exemplum habet Iustinus XXXIV. IV. i. conf. G. Hornius H. imp. p. 35.

VI. Postea vero, qvam migraverunt nostri, et varium nomen, \* et fortunam saepe diversam \*\* sortitos accepi- mus. Sed erigebat fortitudo animos, et manu alioqui promptos magis acuebat, nec tam opes semper et regna, qvam expeditionum gloria in oculis erat. Sveones industriam exercere domi, et procreare Coloniis sobolem contenti, Ab originum sedes imperiumque tuebantur. \*\*\* Gothi apud exteris pugnare avidi, sedibus exciti suis armorum auspicia seqvebantur. \*\*\*\* Rugorum Venedorumque campos brevi tempore insederunt. \*\*\*\*\* Inde longius profecti Scythiam \*\*\*\*\* cultu vacuam, et coelo situqve asperam adierunt, nil divitias, propter qvas sui subinde obliviscerentur mortales, nil pingue Pomeraniae Sarmatiaeque solum, qvod deiicere vigentes spiritus, et langvorem conciliare ani- mis poterat, aestimantes. Vnum tandem inter tot pericula-

labo-

laboresque maximos praesenti gentis fortunae sufficiebat, occupasse Maeotidis paludes. \*\*\*\*\*

\* Nunc Getas, nunc Gepidas, suscepta migratione, vocatos memini. De illis vid. Iornandes, Crantzius, Io. Matthias a Sudetis predictis locis: de his Io. Magnus Hist. 1. cap. 15. quos qui numerant in Slavis, et horum parte, Valachis, ii neque origines, neque migrationes gentium recte sciunt, et si sciunt, haud vere interpretantur. Vid. Iornandes de reb. Get. p. 98. Nihilo secius existimo de vocabulo Scytharum, quod non attulerunt Gothi, sed acceperunt. At hoc vid. infra. Sed et saepe variavit usus pronunciandi Gothorum nominis, tametsi idem genus erat et origo communis. Memorat Carolus Sigonius lib. 1. de imp. occid. pag. 12. et, quod opinor, ex eo Petrus Bertius com. rer. Germ. p. 73. Vittungos, seu VVisegothos, et qui ex horum posteritate oriundi erant, Grutungos et Tervingos: de Ostrogothis late tradit Io. Matthias a Sudetis, confirmatque Io. Magnus, paulum mutato nomine popularibus suis dici Ostrogetas, quos iam olim Ostrogotas nuncupatos esse, gravissime perhibet Ravennatum Praeful. Eorum, quantum in Italia sedes fixerant, a Theoderico ad Teiam usque reges enumerat Carolus Sigonius lib. XVI. XVII. XVIII. XIX. de Imp. Occid.

\*\* Refert Io. Magnus lib. 1. cap. 15. cum mari ventisque luctandum fuisse: et eiusd. lib. cap. 20. Gepidas, quum horum ab illis facta discessio esset, Scythis Venedisque ( ipse Vandalo errore Crantzius vocat) accessisse, cumque his in Gothorum exitium conspirasse. Crantzius supra alleg. et ex eo Lungwitz descript. Reg. Sved. Simul observo esse, qui existiment, prae metu civilis belli migravisse Gothos, communi tunc Gothorum Sveonumque republica, Io. Magnus 1.1. Hist. cap. 14. collat. praefat. cap. 2. l. 6. cap. 29.

\*\*\* Distinguendi hic sunt Gothorum intra, et extra Gothiam, reges, seu indigenae ( alii cum Ioanne Gotho internos nuncupant) et ex indigenis egressi. Non applaudimus VVolfango Lazio, qui horum in illos imperium asserit, cum discreta suis finibus et diversa Gothorum imperia, factis migrationibus, extiterint. Vid. eo Alfonsus a Carthagena, VVisegothicarum rerum scriptor industrius, cum quo confer. Io. Magnus.

\*\*\*\* Prodidit Crantzius, Rugiam Pomeraniamque, imo et Poniam Magnapolimque occupasse, et aliquandiu habuisse in sua potestate, lib. 1. cap. 3. Et hunc, ut alias solet, sequitur Io. Magnus l. 1. cap. 15. uterque, et id nunc laudo, institerunt vestigiis Iornandis, de rebus Get. p. 83. Ulmerungos appellantis, quos Pomeraniae Rugiacque ambitus designat.

\*\*\*\*\* Iornand. allegato loco. Vnde licet colligere, Gothos non esse origine Scythes, nec Scythiam a Gothis tulisse nomen, sed Gothos illud a victis pulsisque Scythis duxisse prisco illo aeo. Add. Alb. Crantz. et Io. Magnus lib. 1. cap. 27. Villich. in Tacit. p. 416. Io. Aventinus lib. 2. Annal. Boi. Getae sunt, inquit, quos Germano sermone Gothos, communi vocabulo Scythes appellare solent. Errat Christ. Adolf. Thuldenus ad Anno 1653. dum tradit, Gothos Scytharum Getarumque nomina infudisse. Quanquam non ausim dissimulare hic, Iornandem atque Aventinum legendos pariter et iudicandos esse. Damus enim, Gothos appellari solitos nomine Scytharum: damus insuper, Getas vocatos esse, prodito a Probo et Dexippo, quos secutus Iornandes est, exemplo: sed tantum abest, ut demus, omnes Getas Scythesque appellandos esse Gothos, ut quoque id diserte negemus. Et ex ea causa castigat Iornandem Antonius Bonfinius Dec. I. lib. 2. p. 38. quod omnia Scytharum gesta ascriperit suis Gothis. Confer. Hermannus Conringius de Orig. iur. Germ. cap. 4. Sed et recordari hic subit, Scytharum nomen quandoque ludibrii causa, et ad denotandum contemptum Gothis attributum fuisse, apud Ioannem Magnum lib. VI. cap. 12. Perinde ut cum nomine Gepidarum factum esse constat, Iornandes de reb. Get. p. 98. Alioqui observamus, Scythes arcu valuisse olim, nec desunt, qui ab egregia emittendarum sagittarum peritia dictos putent. Non secus atque per Cimbros quondam pugnatores, per Sicambros victoriae gratia dimicantes denotari solitos scimus.

\*\*\*\*\* Io. Magnus lib. 1. cap. 22. Et in eam rem extare carmina Gothicæ, fidem facit ex vetustissimo Gothorum historico Ablabio Iornandes, simul memorat, Gothos velut victores ad extremam Scythiae partem contendisse. Sed quid de carminibus sive Gothicis, sive Runicis, et quorum tam illustris ac pervagata fama est, obeliscis, pyramidibus ac lapidibus Septentrionalium sentiamus, hic iam dicere non

vix

vacat. Saltem merito suo hic et infra notamus Philippum Cluverium, virum saepe intempestive audacem, apud quem adeo non est momentum huiusmodi carminis, ut recitiat quoque in solidum omne, quod proditum est de migratione Gothorum ex Scandinavia. Vnde et ab insignis iudicii viro, Hermanno Conringio, castigatur de Or. Iur. Germ. cap. 5. de Statu Helmstad p. 65.

VII. Exacto ita per has migrationes tempore, velut ad perdendos imperii Romani fines, ruere in bellum, idemque immanissimum, coeperunt. Primo Graeciam, et ditiones finitimas, \* tum Pannoniam \*\* aggressi, rupto limite praefidia Romanorum disturbarunt, et hinc in Thraciam \*\*\* conversi, validissimas Valentis legiones oppresserunt. Iam via in Italiam \*\*\*\* facta erat, caputque rerum trepidabat, si non diripere modo, sed dominari etiam statuissent. Verso igitur itinere, in Galliam pergunt, et inde in Hispaniam \*\*\*\*\* exeunt, Celtiberorum futuri necatores.

\* Non omisit recensere Eutropius, qui praeter Graeciam commemorat Macedoniam, Pontum, Asiam a Gothis devastatam, p. mib. 335. Assentitur Trebellius Pollio, et de Graecia idem repetit Iornandes de regnor. success. Sed quoque iam diu ante foederi magno, ad quod, ut scribit Eutropius, omnis barbaria se commoverat, accesserunt. Confer. Eusebius, Orosius, Io. Magnus lib. 6. cap. 13. Illud vulgo dicitur Marcomannicum, a Marcomannis initi foederis autoribus, in cuius partem venisse Gothos, facile colligamus ex argumentis Historiae augustae veteris, quam prodiderunt Dio, et qui excerpta eius dedit Xiphilinus, post que hos Julius Capitolinus, scriptor praecepue diligens, et nuper a Claud. Salmasio egregie illustratus, Eutropius, quantum styli negligens, tantum a compendio laudandus, Ammianus Marcellinus, licet nullo dictionis cultu, tamen gravis et verax, Iornandes, Gothus ipse, et rerum Gotthicarum gnaviter intelligens, et pro captu devi, barbarie migrantium populorum foedati, adeptus industriae laudem. Sed quis omnes in tam exiguo spatio complectatur?

\*\* Vnus hic sufficiat Io. Matthias a Sudetis in Dissertatione de  
B 3 orig.

orig. Bob. qvi et patrias exterisqve origines pulchre ibi et cum eximio dele-  
ctu investigat.

\*\*\* Nominamus Iornandem de reb. Get. p. 107. Paulum Diaconum, qvi comprobat, Romanos ne primum qvidem impetum Gothorum sustinuisse, p. m. 384. Confer. Euseb. in Chron. p. 187. et Orosius lib. 7. p. 597. qvi bellum lacrymabile ex parte Romanorum vocant: causa belli traditur penuria, autoribus, qvos modo laudavimus, Iornande, Eusebio, et Adone Viennense in Chron. p. 146. Afferit Ol. Magn. epit. lib. 2. cap. 23. Gothos hos, qvi foris militassent, Vrsae imaginem in signis incisam gestavisse, eoqve indicio, bellatricem Gothiam, et viris armisqve vali-  
dam ostendere voluisse.

\*\*\*\* Thraciam Daciamqve obtinuisse, satis fuit. Conf. Ior-  
nand. p. 107. Ab hoc tempore Romanorum foederati, Regibus Fridi-  
gerno et Athanarico, martii ipsi cum Martio populo, pacis societate coa-  
luerunt, p. 108. donec Alaricus Italiam non dominatus, sed praedae cau-  
sa ingredetur, pag. 110. Thomas Bozius dum agnoscit antiqua haec  
Reipublicae Romanae vulnera, simul aestimat Gothorum moderationem,  
ut qvi aris templisqve pepercissent, et in bello etiam belli iuris observan-  
tes fuissent: De Ital. stat. p. 222. et d. l. Iornandes, Socrates lib. 9.  
cap. 9. Conf. Paulus Orosius lib. 7. cap. 39. et August. de C. D. in ean-  
dem sententiam: nec dubitat porro Bozius confirmare, plus sanguinis  
bello civili Caesaris, et Sullae, quam Gothicoprofusum esse, p. 398.  
lib. alleg. Atqve id hau sit ex Paulo Diacono, qvi refert qvidem, sub-  
iecto aedibus igni foedasse Romanum, sed Iornandes p. 110. nil de incen-  
dio memorat, forte qvia leve, et ut Diaconus tradit, aliquantarum  
aedium incendium fuit. Sed multum id distare ab incendio Iulii Cae-  
sar is constat, ib. p. 356. Nec tamen idem omnium Gothiae regum in-  
genium fuit. Successor enim Alarici Ataulphus, de quo est apud Ior-  
nand. pag. 56. obliterare prorsus Romanum nomen, et pro Romania Go-  
thiam appellare, animum induxit, Oros. l. 7. c. 43.

\*\*\*\*\* Velut digito monstramus repetitam Gothorum migrationem,  
qva Hispaniam, eiectis inde Vandalis, impleverunt, Machiav. lib. de mi-  
grat. pop. Io. Matth. a Sudetis, et cuius nunc praecipue testimonium valet,  
Paulus Diaconus, qui ascensis Pyrenaeis iugis, Hispanias invasisse, affir-  
mat, p. mib. 308. Praecipue videatur Isidorus Hispalens. in Chron. VVi-  
se-

segot. Comprobat Iornandes p. 114. de reb. Get. Gothos adeo saevisse in Vandaloſ , ut, ſi fortuna coeptis affuiſſet , prorsus apparuerit , iſpos in Africam perſequi voluſſe.

VIII. Refert noſtra hic , ut explicemus numerum modumque expeditionum a Gothis ſuceptarum, earum maxime, qvas fama et fortuna insigniores fecerunt. Primus, a qvo auſpicati historiam fumus, ad Viſtulam \* exitus, orientales occidentalesque Gothos armorum atqve itineris ſocietate copulavit. Ab eo tempore et amplior rerum gerendarum occasio , et multo maior migrandi ardor fuit. \*\* Viſtulae ambitum emenſis, Danubius \*\*\* reſtabat, dignum novi belli praemium , propter qvod tam longos terrarum tractus, regionesque maxime diſſitas peragrassent. Qvorum statu vix erat, qvi Gothorum impetum ſuſtineret, qvum vel iam in ipſo imperii Romani aditu pugnaturi ſtarent, Caefaresque \*\*\*\* rerum dominos adorirentur armis , qvi cum et perhorrefcerent adventum, et clades ominarentur ſibi, donis foederibusque Martium a Septentrione populum placaverunt. Si tamen resiſterent hi , et ad reprimendam transiti limitis audaciam, conſererent pugnas, Gothi ira doloreque excitati , et velut ulturi iniurias, \*\*\*\*\* neqve magis copiis, qvam animis aucti dimicarunt. Si ferro feciſſent iter, non caſu , ſed conſilio alii in alias terras processerunt , qvidam ſedes occiduas , ceteri, qvas monſtrat oriens, elegerunt. \*\*\*\*\* Sveones interea ut dignitatem ſervabant domi, ita per Gothos, velut propagines ſuae ſtipis, famam atqve decus longe maximum ad exteris protulerunt.

\* Vnum olim apud Gothos antiquitatis genus, Gothicā carmina , Ablabio Iornandique celebrata, et temere a Ph. Cluverio vocata in dubium, memorant insignem hunc egressum, provocantque ad ea indigenae et exteri, conſentiunt scriptores antiqui, accedunt veteres deſcri-

scriptiones locorum : et si vel maxime historia non attingit spatum, hoc, nec ad vetustissima retro Gothorum carmina facile ascendit: suppetunt tamen argumenta alia, ex comparatione operum prisci que Gothici moris eruenda. Ut isto audacior sit Autonius Bonfinius, qui rer. Vng. Decad. 1. lib. 2. asserit, Iornandem undique, ut ipse ait, mendi-  
care coniecturas verisimiles in honorem patriae gentis, negatque insuper ex Scandia egressos esse Gothos, p. 33. et 35. Edit. Basil. Vid. Olaus Magnus, elegans rerum Septentrionalium Scriptor, et, quanquam Au-  
gustino Mascardo dissentiente, Conringio impense laudatus de sit. Helm-  
stad. p. 6. Qvod saepe evenire usu, neminem fugit, et tale quid in  
historia Germanica ostendere, in expedito est. Constatque hoc de pri-  
scis Germanorum Bardis, teste Amm. Marcellino lib. XV. collat. cum  
Tac. de mor. German. et de vetustissimis Celtis ex Athenei lib. 6.  
Rein. Reinecc. ad Henr. Rantzov. inscript. Abb. Stadens. Non hic  
possum, quin exclamem, cum Ioanne M. lib. 6. hist. cap. 15. Si Go-  
this aeque doctus scriptor accidisset, quemadmodum Romanis, multa  
utique aliter de sua gente tradidisset, atqui hactenus Romani, qui mul-  
ta tradiderunt infra laudem Gothicæ gentis. Interea vid. Conring.  
in allegato libro de situ Helmstadii, percuriose conscripto, p. 2. Atqui  
et hic discedo ab iis, qui Germaniae magnae praecipuam partem,  
unde Goths exiverunt, a non Germanis antiquitus habitatam cre-  
dunt.

\*\* Nempe Goths, quotquot emigraverunt, nec stabiles sedes, nec  
eadem potentiae suae domicilia habuerunt. Contra, quam cum indi-  
genis comparatum fuit, quorum et fixa et antiqua regia fuit SC A-  
RA, Ol. Magn. lib. 2. cap. 18. Confer. Andr. Sev. Velleius ad Adamum  
Bremens. H. E. lib. 1. cap. 50. qui exemplo Adami de reg. Dan. Scara-  
nen extulit. Sed nostri illi modo cis Balthiam, ut cum medio aevo  
loqui liceat, modo cis Viadrum, Vistulamque et Danubium consti-  
tuerunt: modo a Donastro (ita Iornandes Borysthenem vocat) ad Tana-  
im, modo ultra progressi, in Romani imperii provincias irruperunt. In  
Caucorum pariter et Hermundurorum venisse terras, indicia extant:  
de illis probat Conring. de situ Helmstad. p. 57. De his, post VVolf-  
gangum Lazium, celebrem aliqui magis, quam veracem veterum mi-  
grationum scriptorem, Rutgerus Hermannides descript. Svec. p. 16. Ut  
recte

recte dixerit Augustissimus Imp. Carolus V. OMNEM FERME  
EVROPAE NOBILITATEM EX SCANDIA GOTHIA-  
QUE DERIVARI. Cuius sententiae, licet paulo aliis verbis con-  
ceptae, meminit Rutg. Hermannides p. 416. Propter hanc causam Ior-  
nandes Gothicis sanguinis Nobilitatem significanter expressit, de reb.  
Get. p. 126.

\*\*\* Si quaeras, cur Danubium traiecerint, existimabo, Roma-  
norum, qui stipendia substraxerant, avaritia inductos fuisse. Ant. Bonf.  
Dec. I. lib. II. p. 35. Sin quaerere pertendas, ubi traecto fluvio ali-  
quantum substiterint, cum Iornande Moesiam et Thraciam nominabo,  
de reb. Get. p. 95. Etiam propter Hunnorum impetum transisse, tra-  
dit Paulus Orosius lib. 7. cap. 33. Atque hinc accepit Antonius Bonfi-  
nius occasionem sic laudandi Hunnos, ut plurimum detrahatur Gothis.  
Sed qui Iornandem evolverit, de rebus Get. p. 136. et 112. edit. Linden-  
brog. credo, concedet, Hunnos in comparatione Gothorum inglorios, et  
meticulosos fuisse. Sed interim dabo, fortunam, ut versabilis in bello  
est, obstatque quandoque Gothis, ut revera imperante Valente principio  
obstat; non tamen committam, ut propterea aliquid Gothorum glori-  
ae praeter meritum decedat. Quin et Hunni forsan Gothos Gotho-  
rum opera superarunt: quandoquidem constat, Ostrogothos aliquan-  
diu paruisse Hunnis: Iornand. de reb. Get. p. 114. Contra VVestro-  
gotthi semper sui similes, nec foedere unquam, neque obsequio devin-  
ciri Hunnis volebant. Io. Magnus lib. 6. cap. 28. Et si fortasse supe-  
rari fortuna poterant, animos tamen despondere non poterant, lib. cod.  
cap. 17. Inde apparet ambitio Romanorum, praesertim Constantino-  
politanorum, qui GOTHICI titulum sibi per manus tradiderunt, si  
vel maxime nec vidissent Gothos, nec vicissent. Quod confirmabo ex  
Manuelis Imp. Constantinop. edicto, ex Graeco in Latinum converso ad  
hunc modum. Manuel in Christo fidelis Rex, porphyrogenitus (pur-  
purigena) Romanorum Imperator, pietate praestantissimus, semper ve-  
nerandus, Augustus, Isauricus, Cilicius, Armeniacus, Dalmaticus, Un-  
gricus, Bosniticus, Crabaticus, Lazicus, Ibericus, Bulgaricus, Servicus,  
Zecchicus, Chazaricus, GOTHICVS, qui gubernatur ab Deo, heres  
Coronae Magni Constantini, et animo colens omnia iura ipsius. Conf. Ioach.  
Camerar. ad Niceph. Constantinop. p. 230.

C

Vid.

\*\*\*\* Vid. Chronica Guthilandorum a Strelovio edita, sed de quibus notare operae pretium est, plenaque nomina allegari perperam, quaedam inseri nullo exploritae historiae argumento. Conf. praeципue scriptores vergentis mediique aevi, et post hos, recentiores; ex indigenis Io. Magnus, inter exterros Ant. Bonfinius iam saepe nominatus. In primis hic memorandus Theodericus est, qui, quod alii Gothorum Reges destinaverant, implevit demum, et Gothos Romanosque coniunxit sub uno capite, sub uno iure. Extat eius numus cupreus in hanc rem cum inscriptione, D. N. regni eius Gotha-Romani documentum. Conf. Iornand. de reb. Get. p. 141. Effigiem cerno insigniter Capillati argumentum, quo forsan refero quod Iornand. prodidit, Diceneum Gothis Capillatorum cognomen fecisse.

\*\*\*\*\* Sive ob vivax ingenium, quod laudat Iornand. p. 99. sive quod otium displaceceret, ut iam praediximus, sive quod regere, quam regi mallent: de VVestrogothis id supra traditum, et de Ostrogothis monet Iornand. p. 129. sive quod fastum vicinarum gentium ferre non possent. Hinc veluti Symbola ipsorum fuit, NORVNT GOTHI CONFLIGERE CVM SUPERBIS: ap. eund. p. 117. Ultionis saepe tanta vehementia fuisse proditur, ut velut insuperatum fulmen rucrent percellerentque ib. p. 99. Nempe hi sunt illi Gothi, sub quorum dextra Vandalus saepe iacuit, stetitque sub pretio Marcomannus. Conf. scriptor rer. Get. p. mih. 97. et ex eo Goldast. de reg. Bob. lib. 1. cap. 8. p. 66. Interdum enim hos amicos sociosque, aliquando hostes habuerunt. Nec Gotbi modo, sed etiam Sveones, in primis X. seculo virtutem suam in Saxonia probarunt, Abb. Stadens. ad A. 988. Abeant ergo scriptores novi, abeant, inquam, qui praeter historiae fidem affirmant, hoc primum XVII. sec. eluxisse Svedos, et pervenisse ad fastigium Martiae virtutis.

\* Adducimus Iornandem de reb. Get. p. 95. 105. et 129. Iosephus Scaliger dispescit Gotbos in maiores et minores: Illos primo, hos longo, post intervallo Scandinaviam reliquisse confirmat. Maiores iterum dividit in Ostrogothos, qui Italiam, et VVestrogothos, qui Septimania Narbonensem, et postea Hispaniam incoluerunt. Can. Isagog. lib. 3. p. mih. 338. Nil desidero in hac divisione, si Gothi prius in Aborigines, seu indigenas, et ab his ortos emissosque divisi fuissent. Alioqui

qui de Minoribus porro memorat Scaliger, hodie posteritatis ipsorum vestigia cerni in Taurica Chersoneso. Assentitur Busbequius, vir ingenio perinde, ac prudentia celebratus, & epist. Turc. qui Getas eo migrasse quondam, non ex vano suspicatur, et vocabula ibidem nostris convenientia allegat. Non facimus cum Christ. Ad. Ruperto, qui negat, has veterum Gotorum reliquias ex Scandinavia venisse in Tauricam Chersonesum, in obs. ad Christ. Besold. Synops. Multo aliud ex Socrate, Procopio et Iornande facilime evincamus.

\*\* Nec tamen in solidum negabo, antiquis illis temporibus migrasse Sueones, ut quorum posteros fuisse Suevos, haud fas sit dubitare. Finitimos coluisse, veteres tabulae signant: propinquos fuisse, historia demonstrat. Fateor nihilominus, diversis saepe studiis vixisse, nec odiis modo, sed bellis etiam iniurisque se invicem lacefuisse. Quod inter unius originis populos accidere indies videmus, iam accidisse olim ipsis Ostrogothis et VVisegothis, indicia extant. Tandem extinctum Sverorum illud regnum, delatumque ad Gothos est. V. Isidorus Hispalensis in Chron. Sverorum.

IX. De Republica compertum habeo, Gothos Svennesque Aborigines \* pari iure, communique imperio et aequali libertate coaluisse, et quantum secesserunt ab se invicem saepe, atque adeo iverunt in partes, \*\* redisse tamen in gratiam, et coivisse incitatus rursum, unius nominis sanguinisque causa. Siqve ut natione, ita animis iuncti erant, famam pariter ac regnum, mutua fide copulatum, victoriis amplificarunt, et munia fortissimorum civium sociorumque obierunt, iis praecipue artibus, quorum religione VVODANO \*\*\* obligabantur. Ceteri, quotquot excitati ad migrationem commoverant se, atque discesserant in alias terras, nec sub uno capite, nec sub eodem iure fuerunt, \*\*\*\* quum, sicut dissitas regiones, ita diversa regum imperia sortirentur.

\* Pro certo affirmat Iornandes de reb. Get. p. 99. Ostrogothos, et VVisegothos unius Imperio subditos fuisse. Ut autem non Aborigines

gines intelligat, sed ab his egressos ; tamen nil vetat, quo minus ab his colligamus, et statuamus convenienti iudicio de illis. *Saxo Grammaticus lib. 13. p. 212. edit. Francof.* praerogativam eligendi regis tribuit Svedis, et eo privilegium asserit, et maiorem splendorem. Quae causa fuit, cur in compositione vocabuli, quod dissertationi titulum argumentumque praebet, auspicaremur a Sveonibus, desineremus vero in nomine Gotborum : exposcit enim usus civilis, ut in verborum aliqui seorsim efferti solitorum contextu initium a praestantiori capiatur. Ut minus recte vulgo dicant Gotho Sveones, quos Sveogothones pronunciare debuerunt. Sed porro videamus, an in unius populi corporis Svedi Gothicque coaluerint. Planissime pref. Histor. cap. 2. Ioh. Magnus scribit : A regnorum initio Gothi et Sveci quasi in unam Rem publicam coaluerunt, quemadmodum ipsa natura in una munitissima insula, ne unquam dissentirent, collocavit. Idem lib. 7. cap. 1. memorat, Vginum Gothiam adiunxisse Svediae regno. Vnde observandum esse ducimus, Gothiam antiquissimo tempore Svediae coniunctam, proprie non innexam fuisse, quum utriusque populi proceres ius eligendi habuerint, et Sveones saepe recesserint a societate Gothorum, et hi vicissim ab illis, non recessuri, si coaliissent in unius populi corpus, vinculoque unius civitatis copulati fuissent. Contra, quam hodie, ubi unumdemque est Sveonum Gothorumque Respublica, nec coniunctae modo, sed insertae uni civili corpori, eoque illigatae uni regno gentes intelliguntur, intelliguntur, inquam, evidenter iudicii civilis argumento. Quanquam ut olim, ita et nunc Scandinavia contineat Respublicas diversas, si praeter Svediam Gothicumque comprehendat Gronlandiam, Orcades, Norvvegię, ut comprehendere arbitratur in Schondia sua, Iacobus Zieglerus, scriptor doctus et tersus, idemque oriundus a Gothis, nec imperitus Gothicarum rerum. Ac de Norvvegia omnes consentiunt, ut Io. Isaacius Pontanus, Phil. Cluverius, Andreas Bureus, et Stiernbielmius in dissertat. de Gothis, pertinere ad Scandinaviae ambitum: Atqui Norvvegiae regnum, nec nunc, neque olim innexum Svediae est, tametsi Norvvegorum Danorumque verustissimi reges descenderint ex Svedis. Vid. Hermannid. descript. Svec. p. 20.

\*\* Non secus, atque proditum est de Saxonibus, prodisse ex Danis et Nordmannis, quam veterum opinionem recenset. Vitichinus

dus

dus Corbeiensis, annal. Sax. I. de Gothis Sveonibusque divisis Io. Magnus lib. 5. cap. 1. et 3. et 15. De iis, qui exiverunt, Iornandes de reb. Get. p. 105. confirmat. A quorum (Ostrogothorum) inquit, societate iam VVesegothae decessere; quam dudum inter se iuncti habebant. Propterea p. 129. admonet, se tradidisse de Ostro- et VVestro Gothis coniunctis, vel, quod ipse loquitur, qui in uno erant, et de iisdem ut divisis. Conf. p. 114. 121. 130. 131. et 135. Unde liquet, Ostrogothos Hunnorum Imperio obnoxios fuisse, contra, quam il accepimus de VVestrogothis, quos Romanorum foederatos allegat Io. Magnus lib. 9. cap. 4. Ostrogothis interea Hunnorum auspicia secutis. Conf. lib. 6. cap. 28.

\*\*\* VVodan meminit Paulus Diaconus in Hist. Longobard. lib. 1. p. 189. et 199. Ab aliis, ut ibidem videre est, litera augetur, ascribitur Gvoda. Sed fallit idem, cum Mercurium interpretatur. Recens Adamus Bremensis de situ Daniae et Septentrional. Regnorum, describit per Martem, et armatum, quod Martis indicium est, sculpi solitum affirmat, refertque inter Sveonum, quos superstitione fascinaverat, Deos. Conf. Iornand. de reb. Get. pag. 86. Add. Lindenbrog. observat. ad Paul. Diac. p. 342. Ad Dan. Saxo Sialandicus lib. 6. p. 92. 93. ad Angl. VIIb. Malmesb. lib. 1. p. 9.

\*\*\*\* Nempe socii erant, non proprie cives, foederati, non innexi vinculo Reipublicae unius. Vid. paulo ante.

X. Seqvitur, ut, quanta Sveonum Gothorumque erga suos reges officia fuerint, exponamus. Imperia, ut colligo, venerari potius utriusque, quam abiecte timere voluerunt, \* institutorum, quae a maioribus accepissent, tenaces, et quantum pro libertate solliciti, tantum abhorrentes ab impotenti dominatu. Reges ex familiis, et familiarum, \*\* et virtutis \*\*\* respectu eligebantur, qui non florarent pace magis, quam bello, quique aequitatem domi, fortitudinem foris approbarent. Intestinus hostis magis, quam externus odio fuit.

\* In nisi gentibus his mores, non pati imperium herile. Quod  
C 3 com-

comprobo ex aetis atque eventis, et tot exemplis olim vindicatae libertatis. Paulo aliter Tacitus de ipsis: Vnus imperitat, inquit, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi, de mor. Germ. Multum ab eo discedit Adamus Bremensis de sit. Dan. et sept. reg. et scribit ad hunc modum. Reges habent (Sveones denotat) ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi sententia, quod in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet. Addit vero, nisi eius decretum potius videatur, quod aliquando sequuntur invitati. Non capio, quomodo pro illo tempore potius decretum intelligatur, nisi in quantum usu iudicioque praestantius denotatur, quippe quod tunc omnis decernendi momentum penes populum esset, ut prodidit Adamus. Quod indicio est, Tacitum in Gallia Belgica commoratum, parum forte exploravisse res Sveonum, et certe nunquam pervenisse ad veteres Scanos ac cis-Balthianos. Ut parum considerati animi sit, vel sola Taciti auctoritate evincere, Sveones multum abesse ab ingenio Germanico. Vult autem Pacif. a Lapide Not. in Monzamb. p. 85.

\*\* Non ex plebe, sed ex proceribus ascitos esse reges, testimonio Adami Bremensis modo allegato confirmamus, quandoquidem is Sveonum reges vocat EX GENERE ANTIQVOS, id est, a vita nobilitate inclutos, nec heri aut nudius tertius imagines atque insignia adeptos. Iornandes testatur, Alaricum VVestrogothum ex secunda nobilitate electum fuisse, p. 109. Prima olim et praestanissima Gothorum nobilitas erat penes Baltos, et Amalos, illi VVisegothis, hi Ostrogothis accensabantur. Ant. Bonfinius dec. 1. lib. 2. p. 33. Conf. Iornand. de reb. Get. p. 109. et 119.

\*\*\* Innuit hoc Bonfinius Dec. 1. lib. 3. p. 47. dum tradit, Boremundum censuisse, non nisi nobilitate familiae et virtute obtineri posse principatum inter Gothos. Erit id documento existimatoribus civilium rerum, sub tempus illud successionem pro maiori parte valuisse, sed renunciandi inauguandi que vim penes populum fuisse: praeterea imperii iura non libere, sed sive legibus, sive moribus aestimari oportuisse. Ex quo factum memini, quod Sveones aliquando recederent a societate Gothorum, pertaeseris iis regibus subesse, qui iniurias inferrent. Io. Magnus H. lib. 5. cap. 3. Conf. lib. 7. cap. 1. et alibi. De Gothis mirum

rum dictu, quod Aimoinus de gest. Franc. lib. 2. 268. edit. Hanov. refert, ap. Gothos iam olim in consuetudinem vertisse, ut occiderent, si dislicerent, reges. Conf. p. 376.

XI. Verum enimvero, ut temporum rerumque vicisituidines sunt, ita hodiernus regni status multum ex veteri illo mutavit. \* Est penes regem imperandi gloria. \*\* Ordines consilium praebent, ille pacto, \*\*\* hi fide obligantur et parendi iure, in quantum sinunt iura Ordinum, et sacrae regni leges.

\* *Hodie longe aliter, quam olim, praesunt Svedorum Gothorumque reges. Antiquitus sive immista successioni electio, sive creandi potestas penes populum erat, nunc mera successio, licet pacto definita, obtinet. Vulgo dicunt vetus Gothiae Svediaeque regnum partim hereditarium, partim electitum fuisse, nunc mere hereditario iure atque successionis titulo censeri. Conf. Adolph. Brachel. hist. nost. temp. ad A. 1629. Olim iura imperii penes populum fuerunt, nec divissim solum, sed etiam potiori parte, auctore Adamo Bremense, rerum Septentrionalium peritissimo, contra, quam nunc reges summae rerum impositi, regia auctoritate pollent, quam reges, imperium gerunt, licet pacto iuris iurandi religione comprehenso obligati. Tum Svedia et Gothia ultimis retro seculis non una Republica, sed una gente continebantur, non magis quam foederis vinculo copulatae, sed postea redactae in unum civile corpus: ut mittamus plura alia huic discrimini indicia.*

\*\* *Habet Svedia Reges, habet Monarchas non beriles, aut insolenti dominatu graves, sed paternos, sed moderatos, sed regnandi egregio quodam temperamento decoros. Si ardua regni definienda sunt, si ferendae leges, si belli pacisve negotia tractanda, nec rex invitatis Ordinibus, nec Ordines invito rege statuere possunt. Quae nota est non tam deminutae, quam temperatae maiestatis, temperatae, inquam, novissime ex pacto Carlo-Gustaviano A. c. I. Ic L. ut sua ordinibus privilegia atque avitae immunitates conserventur.*

\*\*\* *Memorandae hic pactiones quaedam sanctionesque Regni, 1. Gustaviana, ad hunc modum appellata a Gustavo I. libertatis Svedicæ instauratore, et Sveogothicae successoris fortunatissimo auctore, cuius extat*

rat quoque testamentum ab Ordinibus regni confirmatum, eoque ad posteri-  
 tatis memoriam referendum, 2. Norcopingense decretum A. 1604. vulgo  
 der Norcopingische Receß, cuius meminit Iacobus Augustus Thuanus, de  
 propagine Sigismundea, nunquam propter violatam a Sigismundo fidem  
 in Svediae Regnum evehenda, ad praedictum A. 1604. Atque hinc vel-  
 ut ex fonte manarunt pacta Stundorfsiensia cum Polonis inita, 3. Pla-  
 citum Orebroense, das Drebröische Recht. 4. Pactum, quod dicitur,  
 Carolo-Gustavianum, anno huius seculi quinquagesimo Holmiae promul-  
 gatum: quibus omnibus et singulis iuri aequo, ac libertati Svediae pro-  
 visum sapienter est. De quo nuper pulchre admonuit Iurisconsultissi-  
 mus vir, Ericus Mauritius, nunc Senator in Augusto, quod Spirae Ne-  
 metum est, tribunali, et quaedam de eo inseruit notis Io. Loccenius pag.  
 24. et 25. ad hist. Sved. Nec forte hic praeter rem memorabo legem, de  
 non ab alienandis Regni Svedici provinciis portionibusque ad Patrimonium  
 regium pertinentibus, conceptam, quam Latine reddidit Regvaldus Ingel-  
 mundus.

XII. In extremo operis aequum est, ut CAROLO  
 XI. iam velut in limine gloriae, accipiendo rumque Regni  
 insignium stanti vota nuncupem. Qui Svedorum, quibus  
 patriam debet, amor, Tevtonum, quibus sanguinem, spes  
 est, praesertim in tanto Europae, rerumque, quas optimas  
 ducimus, discrimine. Servet hunc regem Deus, et faustum  
 esse iubeat instantem inaugurationem, praefestetque invictum,  
 et GVSTAVIS CAROLISQUE parem, ac dotes,  
 quibus eminet, maximas, non Svediae modo,  
 sed toti orbi reddat  
 salutares.

• 95 ) ( 0 ) ( 96 •

WDAZ

MC

